

HENRICI MEIBOMII

DE

VASIS PALPE.
BRARVM
NOVIS


EPISTOLA

AD

V. CL.

D. IOELEM LANGELLOTTIVM

Reverendiss. & Sereniss. Ducis Holsatiæ
Archiatrum.



HELMESTADI;

Typis & sumptibus HENNINGI MULLERI;
ANNO CICLXVI.



Amplissimo Clarissimoque Viro,
JOELI LANGELLOTTIO D.

Rever. & Seren. Holsatiæ Ducis
Regentis Archiatro

Fautori & Amico suo plurimam
honorando

S. P. D.

HENRICUS MEIBOMIUS.

Non diu equidem est, Vir celeberrimus,
ex quo inter nos, qui parvo terrarum
spatio sejuncti nunquam tamen nos vi-
dimus, coaluit amicitia : futuram ta-
men eam diuturnam multis de caussis
ominari licet. Qui enim aliter possit, quæ pro
fundamento habet virtutem ? Eam ego in te su-
spexi semper, ex quo Viros Eruditos suo pretio
estimare didici, amarique à te laboravi, quan-
quam non erat multum in eo laborandum. Es
enim obvius & expositus plenusque humanitate,
statimque bonam de me meisque studiis conce-
pisti

A 2

pisti opinionem. Crevit autem mox notabili au-
gmento tua erga me benevolentia, simulque tui
observantiam in me auxit. Et hæc quidem ha-
ctenus mutua fuerunt. Dein autem ea à te in me
profecta sunt, quibus paria ut facerem nec meæ
res patiebantur nec tuæ. Illud unum mihi reli-
quum erat, ut & virtutum tuarum, quas jam ma-
gis mirabar, quia magis intelligebam, præco a-
pud alios essem, & gratum animum meum fre-
quentioribus litteris testarer, non inanibus ta-
men illis, sed quæ vel aliunde mecum communi-
cata, vel à me observata in re Medica narrarent.
Prius autem me fecisse ab aliis rectius intelliges,
posteriorū non omisisse, tute testis eris. Gratas
verò meas quoque tibi fuisse de rebus Anatomí-
cis narrationes non obscuris signis intellexi. Quæ,
ut me quidem Anatomen hac in Academia do-
centem decent, sic ad te minus prudenter mitti,
posset putare, qui te minus nosset, aut ex ingenio
suo judicaret. Ita enim vulgo hodie fit. Ad pri-
mos adolescentiæ annos damnatur structuræ cor-
poris humani contemplatio, indigna autem cen-
setur, quam vel limis aspiciant, qui medicinam
apud ægros faciunt. Notum tibi hominum gé-
nus. Fateor equidem, imò hoc effugium ipsis
suppedito, si respicias Artem Medicam, tria per
Anatomen in sanis corporibus, ut in theatris fieri
solet,

let, institutam & dñci & docet. Necessaria, Utilia,
Iucunda. Necessaria multa occurrere in propa-
culo est, citra quorum notitiam nemo Medicus
aut Chirurgus feliciter potest operari, qualia im-
primis sunt, quæ ad positum & ordinem partium
pertinent, quæ non satis observata maximos er-
rores pariunt. Sunt dein multa Utilia, quæ quam-
vis Medicum non faciant, aptiorem tamen ad
medendum reddunt. Prima fronte illorum usus
non parat, quæ tamen inde deducuntur, admo-
dum medentem juvant & rationes quoque, qui-
bus in Φαινούσιοις solvendis & sibi & aliis satis-
faciat, abunde suppeditant. Non quidem igitur
per illa Medicus, sed major sit Medicus, si reli-
quis conjungat. Talia multa recentiores nostri,
que seculi Anatomici observarunt, quæ nimis su-
perciliosæ, tanquam planè inutilia excludunt, qui
quæ juvenes non didicere, senes satagunt con-
temnere; anatomen autem tam libenter vitupe-
rant, quam eam aggrediuntur inviti. Denique
sunt alia, quæ jucunda nominare placuit, quia e-
legantium ingeniorum delitiæ sunt, etsi aliquem
in medendo usum non habeant. Olim ad Φι-
λοσόφων παιδας pertinebant, nec hodie à qui-
busdam illorum negliguntur. Explicarem hæc
omnia latius, adductis exemplis, nisi alibi id age-
re animus esset, & ad te, Vir longe doctissime, scri-
berem,

berem, quem nihil illorum fugit. Nullum autem est dubium, quinis, qui in Arte nostra recte versari vult, illa quæ prioris sunt generis, præ reliquis potissimum scrutari & investigare debeat & tanquam ungues digitosque suos nosse. Habet enim hic quoque meritò locum illud Euripi-dis, citatum ab Aristot. l. 3. Polit. c. 4.

Mή μοι τὰ κόμψ', ἀλλ' ὁρ πόλειδεῖ.

Qui tamen aliquod in arte Medica nomen sibi acquirere vult, etiam ea, quæ secundi sunt generis, ignorare non deber. Imò, si ea quoque quæ tertio loco recensui, diligenter investigarit & ab alijs liberalibus artibus disciplinisque probè sit instructus, tum demum in illorum Medicorum ordinem pertinet, quos χαράκη διατίθενες Hippocrates, χαράκης appellat Aristoteles. Tales autem qui fuerint prioribus aut nostro seculo, non est, ut memorem, cum tu, ὁ χαράκης, luculentissimum nobis præbeas exemplum. Quām enim priora feliciter ad usum Artis didiceris, referrem, nisi id integræ provinciæ, majore incertum tuo honore, an suo commodo, loquerentur. Reliqua verò ornamenta, ut cum paucis communia habes, sic te Magnis Principibus, Immortalis memoriae Heroi FRIDERICO & nunc nostri ævi Musagetæ Incomparabili, CHRISTIANO ALBERTO, Domino nostro clementissimo, com-

men-

mendarunt, ut suum sibi Archiatrum alter elegat, alter hodieque carissimum habeat. Non ibo equidem per omnes χαράκης tuæ partes, sed tantum illi, de qua cæpi dicere, humani corporis cognitioni inhababo. Quod si jam te ea in his rebus anatomicas scire dixero, quæ ignorant sæpe illi qui in his consenserunt, modestiæ forte tuae injuriam aliquam, veritati certè nullam fecero. Cumque jam non sit tibi semper integrum, sectionibus admoveare manum, omnem das operam, ne ea te lateant, quæ illi animadvertis, quibus par tecum studium sciendi & ardor, occasio autem inquirendi commodior. Hæc tua curiositas me ad has quoque litteras dandas invitavit, cum superiori mense iterum virile cadaver ad hos usus nactus essem. Non exspectabis autem ut totius octidiūi acta tibi referam & ea etiam enarrēm à me demonstrata, quæ vel ordinatio in corporibus omnibus reperiuntur, vel ab alijs pridem inventa ad hanc eam usque descripta sunt (quis enim noctuas Athenas sciens mitceret?) sed tantum, si quæ præter naturam sese obtulerunt, aut si quæ alijs non notata nostra diligentia detexit. Prioris generis, licet pauca, aliqua tamen occurserunt. Pinguedo enim multis in locis, ubi naturaliter alias non comparet, aderat. Id quod cum in obesis corporibus frequenter observarim, non ita attendi: hoc tamen

tamen non inuria, puto, me suspicere tenuit, alii
non temere notatum, quod prope lineam albam,
quam vocamus, inter peritonaeum & tendines mu-
scularum abdominalis copiofa pinguedo esset, cum
aliis illi tendines peritonaeum tam arcte soleant con-
nasci, ut vix ulla arte possis separare. In inaeq.
no ileo, non longe ab ejus cum crassis connexus
enquorū quædam triangularis comparebat, ali-
quot digitorum longitudine & crassitie, plena ex-
crementis. Quam ut obiter memoro, sic plenius
describam, necesse est, quod in corde observavi,
concrementum lapideum, praesertim, cum quin an-
te haec lapides in corde observarunt, & memoran-
tut plerique à Schieckio Observ. l. 2. nimis parce
cum reliquias circumstantias, tum ipsum cordis lo-
cum descripserint. Hoc autem concrementum
hærebat in ventriculo sinistro, eo fœco, ubi arteria
magna egreditur, eratque tam firmiter adnatum,
ut sine laesione ipsius arteriosi corporis non pos-
sem liberare. Non habebat autem certam aliquam
figuram nec æqualem superficiem, videba-
turque quasi ex multis parvis calculis concretum.
Latior ejus pars adhærebat arteria emergenti, al-
tera acuta propendebat in cordis cavitatem. An
autem hac de causa vir ille, dum vivieret, sympto-
mata quædam passus fuerit, palpitationem aut
tremorem cordis, juxta cum ignarissimis diev su-
spicari

Spicari id licet ex iis, quæ de Maximiliano Impe-
ratore à superioris seculi Medicis annotata nosti,
Erasto cum primis, Medico doctissimo, consil. 103.
inter Cratohianas. Illud ausim asseverare san-
guinis ex sinistro ventriculo cordis in arterias im-
petuose irruentis motum aliquo saltem modo ab
hoc concremento fuisse impeditum. Situs enim
cuivis hoc faciebat planum. Pendebat hic lapis
circiter drachmas duas, duritiae nec maximæ nec
nullius, ferè qualis tophorum esse solet. Rarius
enim admodum duri lapides in corpore nostro
generantur, etsi aliquando id contingat; imò,
quos in vesica deprehendimus, calculi ut pluri-
num tales sunt, quos etiam non magno labore
resolvere, & ex ijs cum sale spiritum oleumque
ducere licet.

Sed missis his, quæ præter naturam mihi ob-
servata, ad ea, quæ secundi generis sunt, accedo.
Cum enim oculi partes omnes dissectas propo-
nerem, in palpebris ostendi non tantum illa la-
crymalia puncta, quæ antehac fuerunt cognita,
sed alia quoque, his quidem minora, numero au-
tem plura, quæ ante tres ferè annos primum ob-
servavi. Antequam autem ea plenius, ipsosque
quorum ostia sunt, ductus describam, paucis, pa-
ce tua, recensebo, quid hactenus de palpebrarum
vasis in suis scriptis annotarint Anatomici.

B

In

In angulis internis oculorum in utraque palpebra tam superiori quam inferiori jam tum à veteribus observata fuerunt duo foramina, descripta à Galeno l. x. de usu part. c. xi. sive illum habeant inventorem, sive qui eum antecesserunt, Anatomicos. Vesalius nec in admirando suo opere nec in alijs scriptis horum foraminum facit mentionem, quod forte non injuria mireris, cum etiam post Galenum is, qui ante Vesalium inclinavit, Berengarius Carpus comment. in Mundin. p. 467. satis accurate ea descripsit. Fallopius autem tanto accuratius de ijs egit & ad nares usque continuavit: imo, cum à Vesalio ea non descripta animadverteret, reliquos quoque Anatomicos ignorasse putavit. Adducam ipsa verba Fallopij ex Observationibus aureis, quia recentioribus fere omnibus praeivit. *In oculis, inquit, primam prætermisere Anatomici duo foramina parva (quorum unum est in palpebra superiori, alterum in inferiori) in viventibus adhuc hominibus, si quis inspicere voluerit, apparentia. Quæ foramina habent meatus, qui sub caruncula eyunavdido vel èt inaydido dicta uniuntur in quendam communem sinum in narum cavitatem desinentem per canalem proprium in osse squamoso quod internum angulum occupat, insculptum.* Quæ verba non satis intellexit, nec ipsos ductus observavit Vesalius, etiam monitus, ut patet ex ipsius Examene

Obser-

Observationum Fallopij. Fallopium autem fecuti Cl. Riolanus in Anthropographia, aliique. Ulteriorius progressus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, accuratissimus, ut nosti, Anatomicus, præter hæc palpebrarum in interno cantho foramina, alia in externo observavit, unum itidem in utraque palpebra. Ipsa verba, quia nonnulli obscura & à paucis considerata, recitabo ex l. de oculis. part. i. c. 13. *In utraque extremitate tarforum superna scilicet & inferna bina in utroque angulo foraminula apparent, tam exigua atque angusta, ut vix in viventium corporibus aspectabilia sint: in caderibus autem omnino sensum effugiant.* Hanc Aquapendenti observationem qui cum & post eum vixerunt, aut non attenderunt, aut ei fidem non habuerunt. Silent enim de illis in externo cantho punctis, imo nonnulli plane ea negant, & rationes cur illo in cantho esse non possint, adducunt. Julius Casserius Placentinus, diligentissimus alias in minimis quoque, libro suo de visu de illis in palpebris foraminibus nimis agit parcè, hæc certè, Aquapendenti visa, non agnoscit. Nec in Spigeliano opere invenias de his quicquam. Alios enim hic & Riolanum potissimum, quibusdam retentis, alijs mutatis sequitur diligens Bucretius. Veslingius illa quidem in interno cantho puncta eleganter, more suo, describit, in cantho autem externo ni-

hil videtur observasse, alias vel uno verbo moriturus. Unus Dominicus de Marchettis in illustri Academia Patavina Chirurgiae Professor, qui hodie cum fratre suo Antonio (ne de patre Petro, jam emerito, quid dicam) secandi peritia inter Italos eminet, post Aquapendentem illa quoque in externo angulo observavit. *Sicut*, inquit in Anatomie sua p. 206. *in angulo interno duo observantur puncta lacrymalia, ita in externo summa adhibita diligentia duo foramina inveni satis patentia, quæ eundem ordinem tenent, sicut ea, quæ sunt in angulo interno.*

Post hos longe luculentiores vasorum in palpebris historiam nobis dedit Nicolaus Stenonis, cuius summam in his rebus peritiam optimè nosti, imò nemo hodie est, qui ignorat. Quamvis autem omnibus accuratius Anatomen tractantibus placeant libelli ab ipso editi, tamen vividum ingenium & ὁρην singularis, qua ad studia Anatomica fertur, ex familiari conversatione mihi notissima, longè majora ab ipso nos faciunt exspectare. Is non tantum ductuum à Fallopio in externo angulo observatorum terminos accuratius descripsit, diversitatemq; in diversis animalibus curiose annotavit, sed præterea quoque nova vasa à glandula oculi innominata prodeuntia primus observavit descripsitque eleganter, quæ inde interiorem intra palpebrarum tunicam pergentia exigui-

is ean-

is eandem foramina ad brevem à cilijs distantiā pertundunt. Sunt illa omnia sine dubio tibi, Vir clarissime, in recenti memoria, ideoque quæ plura ibidem habet, non describo. Nec præter hos jam memoratos ullus mihi occurrit, qui de palpebrarum vasis quicquam fuerit commentatus. Ego autem in utraque palpebra longe plura observavi ostia, ductuum quorundam peculiariū, exilia tamen admodum, nec prima fronte obvia, quæ caussa sine dubio est, cur hactenus latuerint. Observare autem licet ostia illa in utraque palpebra tam inferiori quam superiori, & quidem in illius partis, quam τρισον Græci vocant, extrema ora. Quumque extremus ille palpebrarum limbus aliquam habeat latitudinem, divido eum in externam & internam partem. In externa pili sunt: in interna hæc ostia, oculi globum respicientia. Licet hæc citra ullam sectionem intueri. Imo in vivo quoque non poterunt temere illum latere, cui acies oculorum integra est, si locum exactè norit, & fixo lumine palpebras inversas adspiciat. Numerum horum ostiorum exactè definire non possum. Aliquando me ultra triginta numerasse memini. In toto enim limbo, & ad utrumque angulum observantur. Non tenent autem eundem ordinem cum punctis lacrymalibus veterum in interno angulo collocatis, ut cui-

vis inspicienti patebit, ut sanè nesciam, quæ foramina viderit in externo angulo Marchettus. Hæc à me observata in extero quidem angulo etiam sunt, sed non tenent eundem ordinem cum illis veterum lacrymalibus punctis. Sed fortassis non satis capio, quid per ordinem eundem tenere intelligat Vir doctissimus. Transeamus igitur ad ostiorum horum continuationem, videamusque quorum illa vasorum ostia sint. Si invertas tarsos, videbis utrinque corpora glandulosa, ampliora in superiori, quæ si accuratius contempleris & cultellum quoque admoveas, totidem distinctas minimas glandulas observabis, quot in limbo tar- forum sunt ostia. In superiori tarso longiores sunt, nec recta feruntur, in inferiori & rectæ & breviores. Si comprimas has glandulas, humor aliquis prodibit per ostia in limbo memorata, concretus magis in homine dudum mortuo, liquidior in animali recens occiso: certo argumen- to, esse minimas illas glandulas intus cavae, humoremque, quem continent, per illa ostia effluere. Stylum aut setam aliquam immittere non licet, tanta est plerumque illorum ostiorum angustia. Hæc autem cum ita se habeant, sive ve- lis impostorum glandulas vocare, sive ductus glandulosos, per me licet. Cavitatem enim habent, parietes autem ad glandularum substanti-

am ac-


Em accedere videntur. Ab aliis aliquia parte ori- ginem suam habere hæc vasa, nondum mihi con- stat, et si diligenter inquisiverim. Neque vero necesse id est. Nostri enim optime, Vir doctissi- me, non unam eandemque stationem habere o- mnia corporis nostri vasa, quæ ad excernendum humorē aliquem facta sunt. Quædam in glan- dulis radicata quidem, extra tamen illas ad nota- bilem distantiam progrediuntur, ut salivalia vasa. Quædam in glandulis orta & per glandulosum corpus dispersa sunt, nec facile extra illud seor- sim progrediuntur, ut de pancreatico ductu, aliis- que constat. Quædam denique in tam exilibus glandulis oriuntur, ut ab ijs separabilia non sint: ipsæq; adeo glandulæ ductus constituant. Ad hanc classem pertinent quoque illa in tarsis, quæ mo- do proposui. Imo dantur ejusmodi alia in cor- pore nostro, diligenter à me observata, quæ suo loco & tempore tibi proponam. Quod si cupi- as exemplum tantum aliquod horum glanduloso- rum ductuum, inspicias rogo, Vir curiosissime, in gallina domestica aut alijs pennatis (paucæ enim sunt quæ non habent) cesophagi illam partem, quæ prope ventriculum dilatatur: Arist. vocat τὸν πρὸ τῆς γαστρὸς σόμαχον εὐρὺν καὶ πλατύν. I. 2. hist. an. c. ult. Observabis enim plurimas pro- minentes papillulas, quæ compressæ humorem effun-

effundunt. Ubi dein interiore tunicam, id quod facile fieri potest, separaveris, videbis multas minimas glandulas, seriatim dispositas & per fibrillas sibi connexas. Singulæ autem glandulæ aliquem ductum in se continent, seu potius ipsæ ductus sunt, qui membranam interiore hujus dilatati œsophagi perforant & in ejus cavitatem succum suum effundunt. Eodem autem modo, ut supra innui, nec hic licet ductus à minimis illis glandulis separare, nec habent illi cum ulla alia parte continuationem. Sufficiat autem unum hoc exemplum illustrandis ductibus nostris: alia ex corpore humano deprompta Observationibus meis Anatomicis, aliquando, Deo volente, edendis, reservabo. Nunc figuram aliquam subiectio palpebrarum dextrarum ab oculo abscissarum, quarum tarsi inversi sunt.

Explicatio figuræ.

- A. Cutis palpebrarum à capite abscissa.
- B. Angulus oculi minor.
- C. Angulus oculi major.
- D. Palpebrae inferioris tarsus inversus, in quo lineæ ductus, puncta ostia ductuum in limbo denotant.
- E. Palpebrae superioris tarsus, in quo similiter lineæ ductus, puncta ostia ductuum denotant.
- F. Pili palpebrarum.
- a. Puncta lacrymalia antebac cognita.

Exprimit



Exprimit aliquomodo sicutum hōrum vasorum hāc figura, in quibusdam tamen eam imperfectam esse, ut solent plerque omnes, habens fateor, nec tam ad hanc, quam ad descriptionem meam velim te attendere. In brutis similiter hāc glandulæ cilibet obviæ sunt, in ostia vasorum facilius deguntur, quia nigrore labiorum sese produnt, ut in alijs etiam vasorum ostiis rūm in buccis, cum sub lingua brutorum contingit. In vitulo, bove, ove, cane, cervo aliisque observavi, nec dubito, quin in pluribus quoque reperiantur. Iusta illis quoque serie in utraque palpebra glandulæ sunt dispositæ, perque membranam nexæ & quot glandulæ, tot tubuli, qui callosam palpebrarum tunicam oculum versus perforant, materiamque nunc liquidorem nunc spissiorem continent. Habes historiam hōrum vasorum, quorum actionem Te ipso Vir doctissime, nemo ostendet rectius. Quid obstat tamen, quo minus & meam sententiam tibi edifferam, censuræque tuæ subjiciam? Sane cum omnia hāc vasa, quæ cum aliis, tum mihi observata sunt, versus oculi globum pateant, observeturque ille nunc parcius, nunc copiosius humore irrigatus, statim suspicari fitet, an per hāc vasa aut omnis hic humor aut saltem aliqua ejus pars oculo communicetur. Manifestis enim viis

C

osten-

ostensis, quis ad occultas velit confugere? Certe
nunquam mihi placere potuit illa nonnullorum
de vaporibus elevatis iterumque condensatis do-
ctrina. Sed, sicut inventis hoc seculo ductibus in
os apertis nemo est paulo dexterior, qui non con-
sideratis reliquis circumstantiis per eos in os influ-
ere salivarem qui in ore continetur, humorem (ne
dicam, ad oculum ostendi effluxum salivæ ex his
ductibus posse, observante accuratissimo Ruischio
obseru. 16.) judicet: sic quoque per palpebrarum
ductus ad oculum delabi puto has *lacrymationum*
salivas, ut cum Plinio loquar l. xi. c. 37. Verum illud
dubium videtur, annon quædam ex illis vasis ab-
ducant potius humorem, quam adducant. Vide-
mus enim oculi globum naturaliter semper hu-
more aliquo perfusum, nec illum unquam deesse,
unde colligitur semper novum affluere, qui ne ni-
mis abundet, videtur debere abduci. Videmus
quoque humorem illum qui naturaliter ad oculum
irrigandum parcè affluit, quando aut per af-
fectus animi, aut per alias causas concitatus copi-
osius influit, partim quidem extra oculum prola-
bi, partim vero sensim ex ipso oculo subduci. Un-
de suspicari licet, quædam ex his vasis humorem
illum abducere. Examinemus igitur tria illa Vaso-
rum genera, Veterum in angulo interno, Stenoni-
ana, glandula ihnominata orta, & mea in tarsis sita,

quænam ex his humorem adducant, quænam
abducant. Galenus illa in angulo interno vasa.
humorem oculum irrigantem & date & accipere,
voluit: cum nempe oculi habeant, quod satis est, absor-
bere foraminula hæc; quod superest, tantisper, dum opus
sit, explicante Hofmanno n. 752. Alij tantum
profluere per illa lacrymas voluerent, nulla tamen
adducta ratione. Unus Fallopius ad sensus pro-
vocat, scribitque se in fletibus mulierum observas-
se, majorem partem lacrymarum per hos meatus
ad oculos emanare. Ego tamen cum eruditissi-
mo Stenonio hæc in interno angulo vasa nihil ad-
ducere, sed oculi humorem superfluum exceptum
ad nares deducere puto. Id quod non temere quis
negaverit, si horum vasorum situm, quomodo ab
oculis descendentia in narium cavitatem sese ex-
onerent, recte observayerit. Hæc nimurum via
est, per quam lacrymantibus pueris humor copi-
osius descendens nares quoque ipsas fluere facit.
Hinc est, quod nares emungendo oculos purgare
possimus. Per hæc vasa ocularium medicamen-
torum sapor ad os pervenit, ut forte ipse apud æ-
gros aliquando observasti, memorantque præter
Galenum Carpus in Mundinum p. 467. Thaddæus
Dunus l. 4. de Venæsectione, Vopisc. Fort. Plem-
plus

pius ophthalmogr. l. 3. c. 17. sive Adriani Spigelii
& Guilielmi de Mera. Quod Fallopius in mulie-
ribus flentibus se vidisse memorat, id ego nun-
quam potui observare. In angulo quidem inter-
no lacrymalis gutta primum comparet, inde ta-
men non licet colligere, ibi eam ex vasis suis pro-
dire; quia enim ab alijs oculi partibus in declivi-
orem illum angulum confluit humor, ibi primum a
nobis observatur sub lacrymalis guttae specie.
Nonnulli, quorum sententiam refert Petrus Peti-
tus, eruditus Medicus Parisiensis, l. i. de lacrymis
c. 13. ulterius progressi etiam inter illos in interno
angulo meatus discrimen aliquod fecerunt. Quæ
enim lacrymæ in dolore, ira aliisque ejusmodi a
animi motibus profluunt, per inferioris palpebræ
meatum emitti: quæ autem alia profluunt ratio-
ne, quoniam è cerebro, non corde, deriventur,
per superiorema meatum exire dixerunt. Falsitas
vero istius rei statim obvia est. Ne enim alia nunc
adducam, cum isti duo meatus mox in unum trun-
cum coeant, qui ad narcs pergit, qui poterunt per
hunc alia, per illiun alia lacrymæ profluere. Ber-
engarius Carpus fibras his ductibus ascribit. Re-
citabo ipsa verba ex ejus in Mundinum commen-
tario p. 467. quia in paucorum manibus liber ille
est. *Et credo, quod intra talia foramina sint villi omni-*

MMMO

*um modorum, qui faciunt ad expulsionem & retentio-
nem naturalem lacrymarum. Et ideo si contingat Chi-
rurgum incidere tales villos, ut saepe fit in exituris tali-
um locorum, continuè fluunt lacrymæ, quia villi prædi-
eti incisi non possunt retinere, quod retinebant, & ita et-
iam saepissime contingit hic error in cauterisando fistu-
las lacrymales. Verum isti quidem villi, sive fibræ,
singuntur tantum, non revera sunt, quod autem
ductibus illis lœsis lacrymæ effluant, mirum non
est, cum per adducentes humor ad oculum con-
tinuo stuar, per hos autem lœsos abduci non pos-
sit ideoque lacrymarum forma effluat. Verum
exspectas forte, ut illis abducentibus missis, reli-
quorum in palpebris vasorum actionem propo-
nam. Stenoniana vasa inter adducentia ab In-
ventore collocata sunt, idque maximo jure. Ad
eandem verò classem mea quoque pertinent: per
quæ, ut & per Stenoniana, humiditas illa addu-
citur, quæ palpebras inter & oculi globum erat
necessaria, cum illæ continuo moyeri deberent
& celerrime, id quod citra humorem aliquem in-
tercedentem fieri non poterat. Ille autem ali-
quando aut per motus animi aut aliis de caussis,
copiosius influit per hæc vasa dumque statim in
abductoria recipi non potest, extra oculum in ge-
nas prolabitur, vocaturque lacryma. Hinc est il-*

C 3

la,

ta, quam in lacrymaeibus obseruamus, palpebrarum intumescentia. Hinc videmus eos, quibus lacrymas fingere lubido est, utramque palpebram valde comprimere; sic enim statim oculi globus copiosiori humore, ex his ductibus in tactis expresso, ipsis perfunditur. Imò per sit verosimile, in præternaturali statu viscidum illum humorem, qui palpebras nocturno tempore conglutinare solet, ex his ductibus prodire. Si in cadavere humorem, qui ex his ductibus, concretus plerumque, exprimitur, contemplatis admodum similis est ictus illis, quæ in oculorum angulis colliguntur, id quod ad meam quoque sententiam roborandam non parum facit. In brutis, uti hi ductus etiam adsunt, sic eundem habent usum, ut nempe oculum inter & palpebras humorem suppeditent illis movendis & ne cornea exsiccatur. In illis vero animalibus aliquando etiam copiosius effluere, etsi non per affectus animi motum, certum est, qui cur lacrymæ nomine indignus sit, non video. Sæpe his diebus, injecto in animalium oculos acerrimo pulvere, ut humoris, ex quibus prodiret locis, motum observarem, magna copia profluere lacrymam vidi. Alioquin, quæ circa hanc materiam notare possem, lubens prætermitto, cum sciam ista omnia Tibi, Vir eruditissime, patere, si modo velis cogitationes duas co-

dimit.

dimittere. Cum autem præter hæc via pauciorum propriæ observationis nihil ultima in Anatome ostenderim, adeoque materia propositæ scriptioonis me deficiat, Epistolam claudio, hac tamen addita promissione, alio tempore me & plura & doctiora allatum. Cum enim Serenissimi Principes studiis meis Anatomicis, suppeditatis abunde subsidiis, favent: cum discentium numerus indies auctior me exciteret, cur non ausim aliquid de industria mea, hoc præsertim ætatis meæ vigore, tibi polliceri? Quod si tui similiusque eruditissimorum hominum favor accesserit & benevolentia, tum demum aliquid me operæ præmium fecisse judicabo. Vale. Scripsi in Academia Iulia, quæ est Helmæstadij. vi. Calend. Jun. A. M D C L X V I .

